



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopis Et Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatiis & universis Clericis  
in regno Aragoniæ constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

Sathanae transfiguravit se in angelum lucis, & sub ovina pelle lupina rabies se abscondit. Licet autem sis immemor & ingratus dilectionis & gratiae quam tibi studuimus exhibere, adhuc tamen experiri volentes utrum in te aliqua devotionis & obedientiae scintilla remanserit per ap. t. f. dis. prac. m. q. praefatos Marchionem & Hug. de Baslo diligenter moneas & inducas ut praebatam incestuosam copulam omnino dissolvant, ac sententias excommunicationis & interdicti latas auctoritate nostra in Dominas & terram Galluris, necnon & Lambertum Pisannum, solemniter innoves & declares, reque usque ad festum resurrectionis dominicae proximo venturum apostolico conspectui representes. Alioquin ex tunc scias te ab officio pontificali suspensum. Datum Corneti VI. Kal. Novemb. anno decimo.

*ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS  
& aliis Ecclesiarum Praelatis & universis  
Clericis in regno Aragoniae constitutis.*

*Epist. 144.  
De libertate  
electionum e-  
piscoporum.  
Vide additi-  
onem ad lib. 8.  
de concordia sa-  
cerdotij & imp.  
cap. 10.*

**S**olet annuere &c. usque impertiri. In litteris siquidem kar. in C. fil. n. Petri illustris Regis Aragonum sic de verbo ad verbum perpeximus contineri. Petrus Dei gratia Rex Aragonen. Comes Barchinonen. & Dominus Montis pessulani venerabilibus in Christo Terraconen. Archiepiscopo & universis Episcopis, Abbatibus, ceterisque Ecclesiarum Praelatis & eorum conventibus in regno & dominio nostro constitutis, aeternam in Domino salutem. Regi Regum, per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & sponsae ejus, sanctae videlicet Ecclesiae, integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem a nobis haecenus observatam, qua electionem Praelatorum sine nostro consilio & assensu procedere non permittebamus, amore Dei & sanctae Ecclesiae & pro remedio animae nostrae & parentum nostrorum relaxamus, vobisque & universis successoribus vestris & conventibus in omni jurisdictione nostra constitutis liberam eligendi facultatem per nos & per omnes successores nostros, assensu regio minime requisito, in perpetuum indulgemus, hoc solum nobis & successoribus nostris reservantes, ut liberè & canonicè electus in signum regiae fidelitatis nobis & successoribus nostris debeat praesentari. Nos igitur devotionem regiam in Domino commendantes, & approbantes in hac

parte statutum ipsius, illud auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Corneti III. Kal. Novembr. anno decimo.

*ABBATI ET CONVENTUI  
S. Martini de Monte.*

**N**E causa sententiae calculo diffinita in recidiva contentione scrupulum relabatur, judicialis diffinitio atramentali debet calamo exarari. Praesentibus ergo litteris innotescat quod nos auditis & intellectis attestacionibus, instrumentis, & allegacionibus universis propositis coram nobis in causa quae vertebatur inter yconomum vestrum ex parte una & Fortiguerram ac Raynucium filium Poli Guidoti cives Viterbienfes ex altera super accalamensis quondam Tornampart. & terris de Risiare ac salicis cum molendino ubi facta est gualeria, sententiam Iacobi & Matthaei iudicum Viterbien. contra monasterium inique prolatam omnino cassamus, & sententiam a ven. f. n. R. civitatis Castellanenfis Episcopo & P. Ysmaelis tunc Abbate sancti Andreae contra praefatos cives minus providè promulgatam corrigimus in hunc modum, videlicet quod cum constet monasterium vestrum in venditione praedictarum rerum ultra dimidiam justi pretij fuisse deceptum, praefati cives aut recepto pretio possessiones restituant memoratas, aut suppleant quantum legitime ostenderit tempore venditionis justo pretio defuisse. Nulli ergo &c. nostrae diffinitionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

*Epist. 145.  
De revocan-  
dis alienatio-  
nibus monaste-  
rij.*

*LVNDENSI ARCHIEPISCOPO.*

**P**ER tuas nobis litteras intimasti quod tempore bo. me. praedecessoris tui Clericus quidam consilio cujusdam sacerdotis, quem familiarem habebat, ut ad sacros ordines minis acceleraret inductus, cum esset Acolytus, subdiaconatus ordine praetermissio, praesumptuosè se fecit in Diaconum promoveri, qui postmodum poenitentia ductus delictum suum cuidam Presbytero patefecit; a quo fuit eidem injunctum ut in aliquo monasterio sub regulari habitu Domino ministraret; ubi cum per annos aliquot permanisset, super praedicto excessu quendam duxit Episcopum iterum consulendum, qui nihil eidem injungens delictum hujusmodi tuo iudicio reservavit. Tu verò ipsi post-

*Epist. 146.  
De Clerico per  
saltum promo-  
to.*